DE NVPTIIS PAVLLI SFORTIAE ET LVCRETIAE PIAE

ACHILLIS STATII LVSITANI CARMEN.

Extulerat roseas ueniens aurora quadrigas
Spargens mane nouum terris, quo laetius ullum
Gens PIA non umquam, non SFORTIA uiderat ante.
Cum iuuenis, nec enim longam noua cura quietem
Nocte dabat, thalamo surgens e coelibe, secum
SFORTIADES, salue ante alias o debita votis
Lux ait alma meis, tot post uoluentibus annis
Quae requiem curis, sperataq; gaudia tandem
Vna uehis mihi, namq; PIA de gente propago
Insignis, formaq; potens LVCRETIA limen
Hoc superans, cupidi in gremio deducta sedebit.
Illam casta Venus, dulcesq; sequuntur Amores,
Illam uirgineus pudor, & comitatur euntem
Numquam non triplici circumdans Gratia nodo.
Haec memorans simul & spem alit, aegrescitq; loquendo,
Vrunt totq; faces miserum, quot dicere laudes
Vsq; iuuat meritae, incusat noctemq; morantem,
Et lentum aetherio cedentem limite Phoebum,
Ire dies totoq; uidetur longior anno.
Aureus albenti donec successit Olympo



Hesperus, & toto sparsit uaga sidera mundo.
Pressit et umentes uirgo Latoia bigas.
Interea lecti iuuenes, lectae q. puellae
Hinc atq. hinc glomerantur, auet pars illa marito
Multa nouo, pars illa nouae cecinisse maritae.
Mox liquido tales fuderunt gutture uoces.
Dulcis Hymen Hymenaee ueni, te plurima teda,
Te domus alta uocat aulaeis strata superbis,
Et geminae uarijs halantes floribus arae,
Et iuuenis, quo non animi praestantior alter,
Coniugis ipse nouae magno percussus amore.
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.
Dulcis Hymen Hymenaee ueni, te plurimus ignis
Iampridem increpitat serum in penetralibus altis,
Assyrio late fragrans & odore cubile,
Longaeuus q. parens sponsae simul, & pia mater.
Hesperijs te sponsa manet praelata puellis.
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.
Sponsus auis atauis q. potens, quo sanguine creti
Innumeri q. duces, & ierunt ordine reges.
Quorum uictrices decorant capita ardua lauri.
Stant memores, parti q. domo procul ante triumphi.
Huc agedum fer diue pedem, fer lumen amicum,
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.
Magnorum ipsa etiam regum LVCRETIA sanguis,
Cui genus antiquum ab Diuis, & nomine clarum
Caesareo, ipsa etiam ueteres heroidas aequat

Et genere, & forma praestanti, & moribus aureis.
Huc tua succensam quatiens insignia pinum
Hymen o Hymenaee Hymen ades, o Hymenaee.
At PAVLLVS fratri ASCANIO carissimus, illum
Nam iuuenem patrio semper dilexit amore
ASCANIVS flos purpurei sancti q. Senatus,
Et decus omne suis, quo non seruantior aequi,
Non placidus magis, et Musis non gratior alter.
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.
Et mira RODVLFVS amat pietate sororem,
Vt q. parens gnatam ipse aeui maturus, & ipse
Lux, & purpurei spes semper fida Senatus
RODVLFVS, mitis cuius sapientia, cuius
Virtus clara PIAE genti decus addidit ingens.
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.
Iam tandem clauso lusus agitate cubili
O iuuenes, nunc o ualidam exercete iuuentam,
Et dignam tantis subolem maioribus olim,
Atq. in SFORTIADVM merito date nomen ituram.
Scilicet ut uocitet uos circumfusa parentes
Laeta cohors natorum, & qui nascentur ab illis.
Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.